

ODE DICOLOS, DISTROPHOS, AL-
 tero versu Heroico Hexametro, altero Iam-
 bico dimetro. De casa natalicia pueri IE-
su, deq; paupere puerperio virgis
nis deiparæ Mariæ.

Siquid adhuc veterū sequimur spectacula rerum?
 Huc huc frequentes currite.
 Hæc casa, quæ lacera & stat agrestibus horrida cul-
 Nouum dabit spectaculum. (mis,
 Quale nihil seclis proavi videre vetustis,
 Nihil videbunt posterī.
 Hic cuius tonitru tellusq; tremiscit & æther,
 Teneris crepat vagitibus.
 Hic orbis magni moderator maximus infans
 Virginea mulget vbera.
 His ego non stabulis augusta palatia Romæ
 Fœliciora iudicem.
 Non (operosa licet) Solomonia templa, nec auream
 Lydi tyranni regiam.
 Salue clara domus, cœloq; beatior ipso,
 Partus sacrati conscia.
 Iure tibi Iouis inuideant capitolia falsi,
 Diuis superba faxeis.
 Aegyptus sancta inuideat cunabula, monstris
 Finem datura turpibus.
 Nec minus apta deo es, quod hiantibus vndiq; rimis,
 Imbres & Euros accipis.
 Quod Iodiceis egens, rigidoq; incōmoda feno
 Fœtus rubentes excipis.
 Talia nascentem decuere cubilia Christum, vt
 Qui dedocere venerit
 Fastum, nullaq; non suadentem turpia luxum.
 Non hic renident purpuræ,

Sertaue frondea, non imitantes fulmina tedæ,
 Non mensa sumptuosior,
 Nec strepit officijs domus ambitiosa, nec alti
 Fouent puerperam thori.
 Pannosus iacet in duris præsepibus infans.
 Diuinus attamen vigor
 Emicat, & patrios vagitu dispuit ignes.
 Sensere præsentem deum,
 (Quodq; licet) puero iumenta tepentibus auris
 Frigus decembre temperant.
 Vpilio calamis iisdem, quibus ante capellis,
 Agreste, sed pium canit.
 Aethereiq; chori volitant cunabula circum,
 Vt mensibus vernis, apum
 Degenerem simul ac pepulere examina regem,
 Regi nouo, fauentibus
 Applaudunt alis, sublimemq; agmine tollunt,
 Sic turma cœlitum duci
 Circum fusa suo, gaudens stupet, atq; iacentem
 Pronis adorat vultibus,
 Et natalitium sonat ad præsepia carmen,
 Coniux pudicus interim,
 Fusus humi, magnum trepidus veneratur alumnum
 Porro puella, nobilis.
 Pars bona spectaclî, defixis hæret ocellis,
 Primumq; sese non capit,
 Seq; suumq; stupens genitrix virguncula partum,
 Nulli marito debitum,
 At simul eiecit pietas materna stuporem,
 Prædulce pignus corripit,
 Ac modo porrectis prohibet vagire papillis,
 Modo tepente frigidum
 Blanda fouet gremio, paruisq; dat oscula labris.
 Nunc pectori adprimis suo,

Nunc bleſo teneros inuitat murmure ſomnos,
 Amabili inuicem modo,
 Lætam prole deo videas geſtire parentem.
 Prolem parente virgine.

Finis Odæ natalitiæ.

D. ERASMI ROTERODAMI,
 expoſtulatío I E S V cum homine
 ſuapte culpa pereunte.



Qum mihi ſint vni bona, quæ vel frondea tellus,
 Vel olympus ingens continet,
 Dicite mortales, quæ vos dementia cœpit?
 Hæc aucupari vt vndeuis
 Malitis, q̄ de proprio depoſcere fonte,
 Adeo benigno, & obuio?
 Mendacesq; iuuet trepido, miſeroq; tumultu
 Umbras bonorum perſequi?
 Pauci me, qui ſum veræ largitor & auctor
 Fœlicitatis, expetant?
 Forma rapit multos, me nil formoſius vſq; eſt,
 Formam ardet hanc nemo tamen
 Suspiciunt Ceras, antiquaq; ſtemmata multi,
 At me quid eſt illuſtrius?
 Vt qui ſim genitore deo deus ipſe profectus,
 Genitrice natus virgine,
 Vnde fit, vt mecum vix geſtiat vnus & alter
 Affinitatem iungere?
 Maximus ille ego ſum cœliq; ſolique monarcha,
 Seruire nobis cur pudet?
 Diues item, & facilis dare magna, & multa roganti,
 Rogari amo, nemo rogat.
 Sumq; vocorq; patris ſummi ſapientia, nemo